

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ Maii M. DCC. XXXII.

M. PHILIPPO HECQUET,
Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico,
PRÆSIDE. autore.

An quos Morbos non sanat Chirurgiæ Ferrum, sanat Chymicus Ignis?

I.



AUDET enim Chymia tantùm! Tum ambitiosè superbit! *Nido majores extendens pennas*, & omnibus se præferens unam. Una enim vult esse, aut unicè vera, quæ sua ipsius sunt curandi instrumenta, dicto cæteris repudio. Sic, vel difficiliores morbos sanabat feliciter Chirurgiæ Ferrum, breviora, per sua *caustica* Chymia jactitat compendia, quibus persanet immedicabiles. Itaque antiquari juberet *Hippocrati* & veteribus usitata *caumata*; dediscique doceret vulgares, quos inurebat focarios ignes. His enim eruditiores supplet Chymicus ignis & nobiliores; tam sublime sapit aut gloriosum Chymicis, quidquid illis ex hac officinâ surgit! Si opus, magnum, saltem in votis, erit; si medicamentum, *è majoribus arcanis* unum audiet, Panchresti titulo, ut ut inexpertum adhuc, illicò sa- Horat.

lutandum. His *Galenica* aſſimilabis ? Magna erit componere parvis. *Galenica* enim remedia curationum aliquot adjutoria erunt ? Omnium, etiam Chirurgicarum, abſolutoria, imò *Panaceas* eſſe Chymica audies. Cavillantur, quaſi his foret virtus minor quam dolus, mendacii fortè plus quam veri. At invidioſa percunctatio, iniqua malignitas; ſpondet enim Chymica fides. Hæc tibi friget? Accendent Chymiæ ignes, qui ut minimè doloſi, fumum dant nunquam pro corpore, nunquam pro *Junone* nubem. Inſuper, rerum ſuarum nati Opifices & Architecti, ſuas ad nutum ſibi formant materias. Has ergo tenuant in *Spiritus*, acuunt illas in *Salia*, alias in *Sulphura* fingunt, refinguntque mixta, aut ex *non entibus entia* creant. Poſthac offucias luderent, mendaces prodendo energias? Ergo Chirurgia deſæviat, manſueſcant Chirurgorum manus, à vulneribus vacent aut inciſionibus, humano ſanguine in poſterùm deſordidandæ. Cruentatæ curationes incruentis locum cedant. Ecce toti fervent fornaces, *fuſorii* vel Ethnæi ardent *reverberationis* ignes: adde *Septicos ſpiritus* & olea urentia, quæ *glandularum* lapideos tumores, *Polypos*, *Strumas*, *Lupias*, *Steatomata*, *Schirros*, ipſa vel *Carcinomata* deterant, fundant, aliquando diſſipent, demoliendove reſolvant. Curta tibi videbuntur ut ut exuberantia fluida iſtæc *Cathæretica* ſupplendis ferri feris aut candentium inſtrumentorum operationibus? Sulphureis ecce ardent adhuc fornacibus officinæ. Hîc habes candentes mixtorum cineres potentioribus energiis gravidatos, qui mille modis parturiunt metallorum *Calces* vel *calciformes materias*, hinc emerſuras in *Saponaria* liquamina, *Butyra*, *Magnetes Arſenicales*; illinc in *vegetabilium Salia lixivia*, corporaturis fixa, ictibus agilia, ignita, acerrima, *cauſtica* quippe & *corroſiva*. Tam multa habes quæ *aquarum*, *ſpirituum*, *oleorum*, omniumque paris facturæ, flüidorum acuent mordaces energias mirabiliter, aut abundè ſupplebunt. Apage igitur Chirurgiæ *Cultros*, *Lanceolas*, *Forcipes*, *Uncos*, *Volſellas*; his omnibus læte jam jam carebitur. Horum enim inſtrumentorum carnificinam arcebunt mitiora tanto magis, quanto minus dura erunt aut ferrea minùs præſidia. Talia namque ſunt, quæ ferri loco inſtrumentali Chirurgiæ profert & offert Chymicus ignis. His ſemotis horribilibus, cædentibus & candentibus ferramentis, abſceſſus Chirurgia incruentè aperiet; tumores ut ut ſiliceos, malignoſque, Carcinoma nempe redolentes, nec amputando nec detruncando, abſumet, ulcera mundabit, ſiccabit fiſtulas, ſecando nihil, ſed obſtipando, eas occludet. Verùm tam magnificis dotata virtutibus medicamina, ægris ut jucundiora, artis utilitati æquènè ſervient ac artificum honori? Ita fortè ſibi aliquot adblandientur, qui profeſſorum titulis & muneribus inſanè ſuperbientes, inter Chymiæ adeptos *Doctorari* ſe geſtirent. Sed non ita, qui ſapientiâ & numero vincunt multo plures Artis Chirurgicæ prudentes, quos luſère nondum Chymicorum mendacia verba. Hi quod audierunt à priſcis Medicinæ Magiſtris, nuſquam dediſcentes, quam fida malè, & malè ſana ſit ad curandum Chymica mera; *Cauſticorum* imprimis inſtrumentorum loco, uſtulatorum, corroſivorum, ſimiliſque naturæ demolientium tumores, ſiccantiumve fiſtulas, Chymicorum Medicaminum fucos & pericula norunt. Talibus inſtructos conſiliis, uſûſque ſui & ſanæ mentis ſapientiâ factos Chirurgiæ Artis nobiles atque magiſtros, putabis eos, qui Chirurgiam Chymiæ mancipando, ab amicabili Medicinæ lege & magiſterio diſſociari committant?

II.

BINOMINIS enim Chirurgia eſt, *Medica* & *Inſtrumentalis*, nobile par, *Suzugia* felix, cujus ad curandum *confluxus unus*, *conſpiratio una*. Hæc Medicinæ manus, illa caput, illiç opus, hic conſilium; faxit membrum ut capiti reſ-

pondeat. *Instrumentalibus operationibus nihil non impendat Chirurgus, humorum verò alterationi nihil. Instrumentalis* enim exteriora tractando curat, Medicinalis interiora moderando sanat. In Chirurgicis ergo maximè se dat consortii illius vis evidens, utilitas manifesta, aperta necessitas. Nam Chirurgia secat? Sectiones Medicina regit, benèque fortunat operationes. Illa divellit partes? Divulsas hæc rasarciri curat. Interea peccatur hîc nec à paucis, nec mediocriter. *Fluidorum* nempè cultores plus nimio facti non pauci, *solidorum* plùs nimis obliviscuntur. Hinc *fluidorum* magis quam *solidorum* viribus imputant partium vulneratarum glutinationes, regerminationes succorum, carnium regenerationes, verbo, quascumque partium sarturas & ulcerum cicatrices. Oculos quidem ludit suppurationis aspectus & puris forma. Hoc eliquescere vident, *fluidis* ergo attribuunt vulnerum suppurationis omne negotium. Attamen verè *mechanismus* est suppurationis operatio, à *solidorum systaltica* ratione dependens principaliter. Redintegrationem intellige partium *toni* in fibris, modulorum in vasis, diametrorum in secretoriis; hæc enim omnia vertit, miscetque partis vulneratio. Reipsa aliudne vulnus est, quam carnium simul & vasorum facta resectio; arteriarum proindè *sanguinearum* unà & *lymphaticarum*. Hinc ergò sanguinis alba pars, illinc rubra eòdem confluit. At fortuitònè, an temerè vel inconsultò? Imò hâc in Arte Naturæ, Naturam meditabere, id est, ipsissima expendito Creatoris consilia. Assidua hic ubiquè est arteriarum utriusque generis *Systole* premens. Igitur an præsto magis aut propior vis, quæ appellentes agat, insimulque trudat succos, quæque hiantes arteriarum exitus reprimendo cogat diligentiùs? Interim simultaneâ operâ, retropressâ sanguinis *rubra pars* à minimis ad majora sui generis vasa se recipit. Quid tum? repressâ rubrâ parte ad *lymphaticas*, quas *Systole* pressè minùs urget, pars alba sanguinis mox intercipitur; & hæc est genuina & proxima puris materiatura. Sed hâc ipsâ illabente, continuò elotæ cruentatæ carnes, mucore succoso, sed miti, fibrillarique litæ vestiuntur. Sic operculantur arteriarum fines aut oscula, vulnerisquè vel ulceris fundus, insimul labia & margines utrobiquè pelliculantur: tantus in obducendis cicatrice vulneribus, architectantis naturæ labor! toto sub hoc opere studet Chirurgia Medicinalis *fluidorum* regere fluctus, modulari reciprocos *solidorum* ictus, horum & illorum motus componere. Omnes has Chymia audax dispellit curas, nec timida quadrara aprare rotundis, susdèque habet sanctiores omnes curandi leges. *Principiò*, superbè inquit, *animadverte humorum nullum, nec complexiones me ponere, neque membris attribuere quidquam*. Pejora audire non metuis? effari pergit fornacum Princeps. *Scito mumiam fore quæ cuncta vulnera curat, & hæc est Mercurius dulcis.* Hîc stupes quò hîc *Mercurius dulcis*? Aperit metallorum magistri isthoc documentum. *Solum de minerali corpore quidquid à me tractatur intelligendum est.* Adde his Chymiæ portentorum dogmatibus *mumiales* virtutes & *incarnativas*, ut loqui amat; respectus aspectusve *corporis mineralis* ad singulos morbos, singulaque membra, tùm documenta Chymica in Chirurgicis præcipua tenes. Isthæc ad *Hippocratis* disciplinæ trutinam expendes? Quantum sub Medicæ artis & sanitatis Principe verum sapies, sub Chymiæ malè sano Dictatore disces insanire tantum. Dices, suasit illius primi Chymiæ parentis iniquitas; hanc originis maculam à se absterserunt posteri Chymistarum filii. At an ideo quod *Paracelsum* ejurasse videri volunt, Medicinam obscurasse illum accusando? Fermè fatentes reos haberi est; Ast medendi leges ab eo obliteratas hodiène comperis in posterorum illorum libris reviviscere? Imò primi parentis exemplo illos totos in primatibus *arcanis*, mirabilibus *specificorum* omnipotentiis, *Gigantæorum* præ galenicorum *pigmæis*,

Sthal. Elem. Chirurg. p. 5.

Id. ibid.

Paracel. Chir. min. p. 35.

Pag. 39.

Pag. 31.

Ibid.

Vid. Libavium Tilingium Chym.

Tiling. ibid. medicaminum. De medendi autem legibus ne-quidem *gru.* Imò sublimes eorum medicamentorum spiritus elevant, utpote calorem nativum relevantes, tanto minùs illum pessumdant. Post hæc putabis *Paracelsum* à nepotibus suis ejuratum, *Id. ibid.* dum illius & horum nominibus arcana illius & sua scribere palam profitentur? Imò quam altè *adeptorum* filiorum medullis imbibitus fuerit Chymiæ cupidinis furor, exprimit hæc unius ex *adeptorum* magistris, suos ad *adepturientes* periocha. *Petr. Severin. idea Med. Philos. c. 17.* *Ite, filii, vendite agros . . . comburite libros . . . emite carbones, &c. Ita pervenietis ad corporum, proprietatumque cognitionem, aliàs non.* Ergo cæteros Medicinæ libros à Chymistis combustos intelligito. Frustrà proindè quærendas venire antiquas medendi leges in posterorum Chymistarum libris. Et reipsâ severè adeò effatum isthoc omnia sapiunt, quæ de *Chirurgia Medicinali* scripto tradiderunt, ut huic non secùs ac *instrumentali*, non alia exhibeant quam quæ ex illorum ignibus eruêre præsidia.

III.

Tiling. Chym. præf. IDEO metallica sunt; diros enim nominant *morbos, qui non amant placari levi victimâ.* Hinc metuunt nihil suis à metallis & ignibus, ut ut mollia tenerescant hominum viscera. Idnè veniret illis ab inscitiâ naturæ rerum, aut incogitantiâ? Revera enim *metallis & ferro* ferrea terræ fecit Creator viscera. Ast illas non venantur muscas aquilinæ illæ Chymistarum mentes, sublimes animæ, vivificandi capaces. Ullo tamen mulcimine leniunt, quæ Medicinali Chirurgiæ parant remedia. *Caustica* enim, *Escharotica*, *Cathæretica* sunt, quæ *instrumentali Chirurgiæ* accommodant, sed *tincturas, quintas essentias, spiritus, balsama, unguenta, potabilia,* similes cupedias, talia blandimina *Medicinali* gratificant. His interim omnibus *Id. p. 366.* præit, vel præest *secretum specificorum omnium septem membrorum principalium*: altor quippè propriæ singulorum membrorum mumiæ singularis, & restaurator. Quidquam-nè magis ad Paracelsi ingenium mumialis Philosophiæ principis? Hinc à suâ Chirurgiâ arcendo omnes curandi leges hujusmodi *mumialis* omnipotentiæ medicaminibus illam instruit, pollentibus tantùm, ut morbos etiam incognitos, cujuslibet conditionis sint, loci & temporis, longè fugent. Tantæ virtutis sunt de- *Id. p. 942.* cantata ipsis balsama sua, *admirabile vulnerarium, medicamentosum, rubrum, &c.* Quæ antiquis & novis ulceribus & vulneribus persanandis imperant, missâ quâvis aliâ Medicinâ. Interim febri occurrendum? Præsto iis sunt *digestiva, tartarisata, nitrata, antimoniata, diaphoretica, sudorifera*; adhuc, *spiritus acidi, minerales, vitrioli, sal Glauberianus, clyssus antimonii*, tandem *mixtura simplex*; imò *spiritibus volatilibus, salinis* ab eruditioribus non parcitur in febribus, neque *floribus, crocis, calcibus, magisteriis & sulphuribus metallorum.* Paradoxa narrari credis? Dierum nostrorum *praxis Chymiatrica* hæc est, ubi plus quam familiaris est *Kermetis mineralis* abusus, quo *ardentes, malignas, inflammatorias, morbillosas, & variolosas* febres oppugnare solent; an non expugnate? St.* Quod scis, nescias; nec extrà ** Chut.* oleas. Hæc arcanorum specificorumve turba, divites hi naturæ thesauri, bona *Rolfink.* sunt & fortunæ, quibus Chymiâ ditescente, Chymicorum filii pauperescunt; vera ergo mendicitatis pignora, sed veriores præstigiæ bonorum quibus utramque Chirurgiam Chymia ludit. *Caustica* enim & *ruptora strumarum* similisve naturæ *tumorum*, quæ instrumentis Chirurgicis supplenda jactat, tam contemptibilia sunt, quam malè fida, cauta parum, opere cassa, mutilati operis, aut in operando curta, usu reprobata. Reprobationis argumenta rogas? Hoc in uno habes; *Bartholin. Syntag.* omnia, virulentâ qualitate venenantur. Hinc partis *symmetriam*, robur, calidum *Glandorp. de fonticulis 14.* primigenium, & spiritus pessumdant, unde ex *agro Chirurgico* exterminanda esse pronuntiatum est. Addit Cauteriorum experientissimus *ab illis in totâ 14 annorum*

praxi, abhorrui & ut Zizaniam relegavi. Super addunt à cauſticis lædi quoque partes diſſitas, & pravam ab iis ſupereſſe impreſſionem. Hæc omnia diſcrimina flocci facis? Docet privata & aliorum experientia, *curatione per cauterium cum igne ſuperari Medicinam omnem urentem.* Fatetur, utpote expertus, cauſticæ Chirurgiæ magiſter, malle ſe potius ſexies actuali cauterio inuri, quam unâ per *potentiale, fontanellâ.* Reverà nùm aliundè Chirurgiæ efficaci venit commendatio major quam ex operationum felicitate per ignem? Urgent *cauterii actualis* dolorem, dum potentialia indolorifica ſunt; ita quidem, ſed ubi *narcotica cauſticis* admiſta fuère. At quod à *cauſticis* periculum capitale eſt, aperit tumorum inurendorum natura. Partium projecturæ ſunt & appendices, vaſorum & *glandularum* compacturæ; ejuſmodi enim ſunt *ſcrophulæ, glandularum* duratarum glomerationes, *Carcinomata, Polypi, Steatomata*, ſimiliſque farturæ tot anomalorum abſceſſuum progenies; quàm enim latè enaſcendo glandulæ fætificant, in confeſſo eſt. At unde hæc ſpuria vitulamina? Cujus caudicis tam uberes vaſorum propagines aut ſurculi? cujates ſunt? Succi cujus vehicula? Canaliculos omnes habeto arteriacos, à *ſanguinalium* arteriarum ſtipitibus coortos, *lymphatici* vectitios humoris. Talia ſunt quæ corroſivis ulceranda ſubjiciuntur. Quàm autem periculoſa ſunt & *dyſepulotica*, glanduloſarum & nervoſarum partium ulcera, proditum eſt; illos quippè alluit & alit *lympha*, acere prompta, virûs facilis, prona malignitati: in promptu eſt ratio. Ut vaſa iſthæc aſcititia ſunt, & notha, ſic ad illas derivatæ ſolidorum oſcillationes, ſecundariæ ſunt & adventitiæ, proindè titubare, turbarique proclives. An aliundè ſanguinis *ſtagnationes*, lentores ſuccorum, *ſpirituum ataxiæ*, ſucci nervorum *ſtaſes* & *lymphæ?* A corroſivis ergo furiunt dolores? Cauſa eſt nervorum punctura; arroſæ illicò ſuccreſcunt ſcrophuloſæ carnes glanduloſæ? Ex egerminantibus vaſculis ſoboleſcunt, cruentantur, & in hæmorrhagias erumpunt? Arteriarum ſunt fruticationes. *Serum, ichorvè* puris loco eructant? læſæ hiant, plorantque lympham *lympharum* arteriæ. Inde ſtrumoſorum tumorum curis Venæ ſectione præire ſolet Chirurgia efficax, eâque non illiberali: oſtendit enim Polyporum exſtirpatio, quàm ubertim indè prorumpit ſanguis. Compertum adhuc quantùm ſubſidendo decreſcunt à repetitis Phlebotomiis anomali abſceſſus, tam arcta ſanguinis cum ipſiſſimâ tumorum cauſâ neceſſitudo! Interea quantùm *potentialibus cauteriis* immorigera exaſperatur, actuali tantum obſequioſa ſe dat emendabilem. Virus enim etiam venereum illam infecerit? ſimul & oſſis altè latebit caries? Unâ & eâdem fideliâ utrumque emendat ferrum candens. Inſuper *hæmorrhagias* arcet, ſuppurationem parit, putorem delet, tergit fundum, folliculos abſumit, cicatrice laudabili tandem coronat opus. Eòne felicitatis veniunt *cauſtica?* tam vana ſunt & infida (unde tamen altas Chymici tollunt criſtas) Chymica, quæ Chirurgiæ inſtrumentis ſupplenda obtrudi vellent medicamina.

Albucaſis. *Pigræus de ſepticis.* *Claudinus.* *Glandorp. p. 30.* *Severin. de Med. efficaci. ſparſim.* *Glandorp. 14.* *Severinus.* *Severinus.*

IV.

NEC illis ſupercilium addet remediorum, quæ medicinali Chirurgiæ offerunt, conditio. Eccujuſnam enim exſurdato eàtenùs palato ſaperent, ſapida tam malè & inſulſa *mumialis* ſapientiæ ſalia? neque ad ſanæ vulnerum Medicinæ ſapientiam ſanum ſapit, *eſſentiarum, quintarum eſſentiarum, Elixiriorum, ſulphurum, ſpirituum*, quæque ſpirant *Gas*, aut auras minerales, rerum indoles, nec omnium ejuſmodi confecturæ *balſamicorum, vulnerariorum*, &c.... Talium enim pericula oſtendit *Traumaticorum* legitimorum uſus, vegetabilium nempè, quæ ad Medicinas à Creatore inſtituta, ipſiſſimas in ſe condunt naturæ leges, hujuſque ad ſanitatem conſilia tenent. Inde, quamvis hæc ſint naturalia-*vulneraria*, ſi promiſcuè dentur, vulnerum ſuppurationes tardando, invertendo vel ſiccando, eorum glu-

tinationibus nocent graviter, cicatricem morando. Itaque ex *vegetabilibus* temperatiora vulneraria seligunt usu docti; imò ex his siccata reprobando, virentia præoptant, & ab agris recentia. Tam altè insidet eorum animis, à vulneribus omnia arcenda longè, quæ vividiora sunt, aut actuosa nimis. Ampliùs à vulnerariorum illorum substantiæ *modo* cavent, tùm à molis eorum aut corporaturæ ratione. Sic vulnerariorum ex herbis non decocturas, sed infusa aut succos usurpant; tantùm ab *Empyreumate* rerum, quæ ad vulnera faciunt, tueri se volunt! Quin etiam herbarum vulnerariarum succos, *residentiâ depuratos* aut clarescentes exhibent, à mole remedii adeò metuentes; ne quâ hæc sanguinis motui prævaleret, hujus ipsius sanguinis cum velocitate impetum faciat. Enimverò ad mechanices Legum rationes, expendendo suppurationis rationem, propè abesse videbitur, à *secretionum mechanismo* aut modo. Reverâ suppuratio partis albæ sanguinis stillatus est intra vulnus, sicuti suum intra *secretorium* lymphæ alicujus réceptus est *secretio*. Porrò ad secretionum felicitatem servit nihil magis, quàm sanguinis placidior aut serpendo factus ad *secretoria* appulsus, quò secernendo succo tempus aut mora fiat. Similiter suppurationem juvat, alitque principaliter sanguinis ad vulneratam partem placabilis accessus. Sed hunc turbat spiritalium remediorum usus, quales *essentiæ* sunt & *sulphura*, quorum (quia tota metallorum striis gravidantur) igniculis rarescit sanguis, & tumet fluidorum moles. Hinc hiantibus magis vulnerum labiis, insimul siccato humentis succi stillicidio, flammantur vulnera, febriunt ægri, suppuratio perit. Inde malorum Ilias, cum naturæ coctionum suarum facultatibus destitutæ signum sit suppurationis defectio. Tunc enim *fluidorum* & *solidorum* potentiæ pessumdantur, ipsissimæ triturationis & pisturæ artes. Interim *solidis spasmo* rigentibus, *fluidis* igne flammantibus atque turbatis, impuratus restat sanguis. Indè febres quibus sua quoque sibi fecit chymicus ignis *febrifuga*. Sed qualia! ignes ignibus objecti. Nova ergo bella, novæ Medicinæ belligerandi artes! Urgent, alienæne vires *Chinæ* sunt? aliæne *Ipecacuanhæ?* hæc quippe frigidorum remediorum ditionis usquamnè fuerint? Interim illîc ignis febrilis restinguitur ignis, hîc (in dysenteria) solvuntur flammatæ partes. Ita quidem, at quo Chymiæ, opprobrio! Sic enim à *vegetabilibus* unis expectanda venire vera remedia evincitur. Nec immeritò, id enim spondent herbarum gremio sata, sub Creatoris sigillo (quod superventuræ cœli benedictionis non obscura tessera est) sanitatis semina vera; has ergo vertendo mutat Chymiæ ignis, sicque perdit commissas herbis à Creatore illarùm cum humano corpore concordes convenientias. Ejusdem originis & familiæ sunt, quæ verè sunt, veraque audiunt *anodina*, *papaverina* intellige, quæ de *vegetabilium* gente oriunda, germanas sedativas virtutes, his insitas herbis à Creatore, quales illius instituto recepêre, profundunt ægrotantium solamini. De *mineralibus anodinis*, non item, quæ cùm fœturæ sint ignis torturæ, non alias quàm quas ab igne obtinent, fundent energias. At quo cœco cum corporis ægri rebus concursu, intelliges, cogitando quorsùm & quo usque per morbum à naturâ recessit *fluidorum* & *solidorum* concentus, dissiliitque æquilibrium. Inde putabis, quæ ex utrorumque dissidiis accreverunt his & illis qualitates ascititiæ, sapores novi, novi elateres; tum comparatis utrinque factis adventitiis hinc à morbo, illinc ab igne virtutibus, videbis quo numine duce, aut quam cœco consilio, remedii peregrinas vires à Creatoris instituto, fortè an benedictione, alia, cum alienatis humorum vitiis commissurus es. De *narcoticis* vegetabilibus meliora audies, quia tutiora; nam succi sunt virgines, ignibus utpote intacti, virium quas à Creatore habent fidei tenaces; hinc *narcotica* vegetabilia sunt, quorum laudes & successus

felices ad vulnera extollunt Medico-Chirurgi. *Saturnianis* fide, si voles, sed cui vide; quas enim in nervos exerunt vires, illorum frangunt, non emendant *tonum*, enervant, non sedant; mulcere pollicentur partes? perdunt, & emasculant. Invenias qui à *volatilibus spiritibus* tùm salinis, tùm oleosis vix se temperant; sed quo non periculo, iis à remediis quæ primo sui in stomachum ingressu de repentè se resolvunt, illam corporis centro pandendo virtutem, quæ dissitis longius partibus, vulneratis nempè destinatur. Interim frustrato vulneris loco, sanguinis incendiorum, inflammationum, milleque dolorum hinc ampla seges. An minora metuis à *sudoriferorum mineralium, sulphureorum* aut sulphuratorum usu? Imò in his remedia concipiro *explosiva*, quæ subitò *Ecclampsim* concipiendo inrra sanguinem & spirirus fulguriunt, unde accensiones illius, *spasticæque* horum *ataxiæ*. Verùm ab hujusmodi fulgurandi rarionibus, adeònè distat *Kermetis mineralis* incenrivum & ardens ingenium? Illud tamen ipsum est ignitabulum quod hodiè ubertim & promiscuè singulis & omnibus indulgent. At tædet coctam hanc recoquere crambem. *Plater. Widel Op. Billichii Paradoxa.*

V.

TAM gravia sunr quæ à Chymiâ utrique Medicinæ, *clinicæ* simul & *Chirurgicæ* impendent pericula! Esto, inquiunr, ab eâ quæ *Paracelsi* fuit. Ar quorsum hîc refricari Paracelsi memoriam, quæ dudùm extincta, suo cum *sonitu periit*? Ut quid hanc nobis obtrudendo revocare? Quid nobis & illi? Quid vobis & illi? Commercii tantùm & affinitatis, quantùm quadrat cum scholâ, & medicaminibus Chymiæ illius, plurium è vestris Medicina recens. Ecce enim palàm & altè sonare audis *Paracelsi* & asseclarum illius nomina & remedia, *Lilium Paracelsi*, *Sal Glauberi*, titulo non re mirabile, *Kermes minerale*; ex furnis enim Glauberi prodiisse clamant. Jam liberum fir & publicum cum medicastris, moribus & Medicinâ *Paracelsi* dignis, consulrationum misceri alloquia; his enim ecce se hodiè commodanr *Hippocratis* Medicinæ magistri. Ampliùs, sodalitii sui consortem, talis *chymicastri* medicaminibus, arcanis (quæ jactabat) oculis & auribus auscultando, peremptum nuper vident, silentque. Posthac, ex his ram minacibus initiis quæ Medicinæ intereunri præludunr, in futurum monendo prospicere, *parergon* erit, & animi timidè pavescentis inane lamentum? nunquid non urgeret præsentia *Turni?* Tam præsens adest *Paracelsi* medicantis adoptatio? hîc enim Chymiæ cuilibet moveri litem nemo putaverit, veram quam adoptarunt nostræ Medicinæ Patres, retineri volumus; ab illius ingenio resiliri nunquam approbaturi. Verum ab eâ fidem & animos medentium optamus alienari, quam adversùs *Paracelsi* sectam insectati sunr. Interim; vulnerum, hîc curando cicatrices, obductam olim facultaris vulneri cicatricem nolimus refricari, præteritos illius de chymicastrorum remediis renovando dolores, aut horrores revocando. Solùm moneatur Chirurgia instrumentalis, nè quæ malæ aves; *minerale Kermes*, Medicinæ dogmaticæ malo, illi asporrarunt, eò versus avolando, hâc eâdem aurâ infelici, illam inficiendo funestent. Dedíscat nusquam Chirurgia, quo periclitaretur discrimine, si rebus Chymiæ vel ignibus se commodando, medicamina quæ parant, *vulneraria, balsamica*, ut sonant apud vulgus, tùm *digestiva, sudorifera*, vel sanguinem dicta purantia adoptarent, toxica omnia plærumque, humoribus examurcandis tam insanè servienria, ur turbent eos misceantque magis. His quidem præclaris nominibus & tirulis se sistit *Kermes minerale*, sed ab eo cavebir; spurium enim est medicamenti genus, virture anceps, Medicinæ ambiguum, remedii simulacrum, boni capax vix ullius, nullius tenax, inanibus & inexploratis viribus collaudatum, vulneratorum ergo periculis experiendum. Quid ergo de *Kermete minerali*

Chirurgiæ instrumentali dicendum erit? Id ipsum quod de *causticis* instrumentorum loco sufficiendis; repudium. Attamen sua maneat *cathæretica* merita laus, quæ sua inter usum loca norunt & opportunitates. Solùm secùm velimus expendat Chirurgia, nunquid non paulò nimis igni parceret, ubi curta venit illi ferri scindentis facultas. Quos enim morbos non sanat ferrum, persanandos igne jubet *Hippocrates*, ustionem intellige, quæ quantùm illius consuevit Chirurgiæ, nostræ desuevit tantùm. Igitur quid si ignitorum Chymiæ causticorum loco, tumores benè multos ferro insanabiles, igne Hippocratico persanare aggrederetur? Exemplo veniunt *Parotides* & *steatomata*, quæ strumarum quid celant; utraque enim candente ferro Medicinæ Chirurgiæ efficaci expedire solitum fuit. Artis Chirurgicæ honori caveretur, *scropularum*, *Lupiarum*, *steatomatum* similisve reconditoris naturæ abscessum curas, ad artis magistros revocando, quas vulgò medicastrorum, mulierculárum, monachorum, & chymicastrorum pulveribus, *Emplastris*, *Balsamis*, similiumque titulorum mendaciis delegari videt. Jam enim moris & usus est manu peritis, ferri virgulam extremâ sui parte candentem, mediam per fistulam argenteam, imas usque *apophysis* spongias medullares, cariosas feliciter intromittere. Eccur hanc ad normam *strumarum* cœcos recessus sensim sic & leviter ustulando, quidquid fundi occultant maligni, deterere non tentaretur? minus certè hinc periculi, quàm ex *corrosivis*, contactu quorum, unà cùm hæmorrhagiis & doloribus carcinoma invitatur, tandem & obtinetur. Nihilominus tamen *septicorum* impotens eò versus rapit amor? saltem sint arrosionis expertia, qualium felicitatem Medico asseruit *mammæ cancrosæ* persanatio; sed iisdem admisto *Mercurio* dulci non pauco, laudato hîc singulariter. En ergo plaudendo reclamant, non adeò damnosa Chirurgis (vel etiam mercurialia) chymicorum medicamina. Conceditur. At ubi chymicum omne suum exuerint; sola enim singulorum suorum globulorum tam multorum speciali *gravitatione* juvat hîc *Mercurius*: tanto propterea securior, quantò pluries *Sublimatus*, ignis chymici vim omnem & personatum deposuerit.

Severin. Med. eff. 45.

Bernerus, de fungo mammar. 396. de usu æris.

Ibid. 472. Vid. Sthal. dissert. de attent. Med. pract. art. 39.

Berner. Ibid.

Junker. consp. chym.

Harris. de morbis infant.

Ergo quos morbos non sanat Chirurgiæ ferrum, non sanat Chymicus ignis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus-Josephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ, & in Horto Regio Anatomiæ Professor.	*M. Joannes-Baptista Boyer.*	*M. Petrus Marals.*
M. Ludovicus-Petrus Le Hoc, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.	*M. Desiderius-Claudius Fremont, Chirurgiæ Professor designatus.*	*M. Franciscus Gouel.*
M. Antonius-Nicolaus Guenault.	*M. Bernardus De Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator.*	*M. Urbanus Leaulté.*

Proponebat Parisiis OTTO - CASIMIRUS BARFEKNECHT, Coeslino-Pomeranus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1732. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.